

8.12.1981

Appreso che la grazia (cioè la trasformazione dell'Opus Dei in prelatura personale) è stata concessa da papa Giovanni Paolo II e che la notizia deve per il momento restare riservata al Consiglio generalizio e all'Assessorato centrale dell'Opus Dei, Alvaro del Portillo prepara una lettera per informare, a tempo debito, tutti i membri dell'Opus Dei.

**LITTERAE
NUPER NUNTIATUM**

1. NUPER NUNTIATUM est mihi, modo officiali, Romanum Pontificem, prout desideratissimus Conditor noster postulaverat, decrevisse *Operis Dei* erectionem in Praelaturam personalem atque Statuta approbasse quae dilectus noster Pater iam apparata reliquerat. Deo gratias!

Transeat autem oportet aliquot tempus antequam hic nuntius publici iuris fiat, nam vult Summus Pontifex cunctos Episcopos audire earum dioecesum et nationum in quibus nostrum laborem exercemus: statuit ergo Christi Vicarius ut, in praesens, laetus hic nuntius, tam diu exspectatus et pro quo Conditor noster carissimus tot annos oravit nosque ad orandum impulit, maneat reservatus Consilio Generali atque Assessoratui Centrali *Operis Dei*.

Nescio igitur quandonam vobis mittere valebo has litteras, quae indolem generalem habeant oportet, nam eas redigo cum pontificia decisio nondum nota facta est: hic ergo nonnisi de paucis acturus sum, quae maximi quidem sunt momenti, quaeque ad gratias Deo reddendas ex toto corde me ducunt. Vobis autem iam nunc praenuntio me alias litteras Domini gratia scripturum esse, cum notitia publici iuris fiat, in quibus ea omnia vobis nota faciam quae par est ut scire cupiat, quia totis viribus vestram vocationem diligitis et prae cunctis exoptatis ut Voluntas Domini adimpleatur ut ipsa sese manifestavit dilecto Patri nostro ab ipso *Operis Dei* initio. Interim, profundo animi gaudio vobis scribo, quia iam perspicitur conclusio itineris longi ac ardui, quod percurrere debuimus ut *Opus Dei* iuridicam illam configurationem obtineret, quam sanctus Conditor noster praeviderat. Immensa afficio laetitia cum vobis confirmo fuisse venerabilem nostrum Patrem, dum ipse nobiscum versabatur, qui — sciens quid Dominus vellet ut *Opus Dei* esset atque intuitione motus spei plena circa generalem Ecclesiae cursum — cunctos signavit gressus, quos nos perfecimus.

2. Simul vero, et sinite ut cor meum vobis omnino aperiam, filialem tristitiam experior cum cogito necessarium fuisse holocaustum vitae sanctae nostri Conditoris ut nos, eius filii et filiae, tuto itinere progrederemur atque ad laetum hunc terminum perveniremus, quem ipse tantopere exoptabat. Hoc quidem modo se semper gessit Fundator noster, generose plantans hanc Dei arborem, quae est nostra Institutio, ardenti motus desiderio ut sub umbra eius alii habitarent.

Mecum unimini, filiae ac filii, ut gratias agamus Trinitati Beatissimae; gratias quoque Deiparae Virgini Mariae ac Sancto Ioseph, eius Sponso, cete-

risque nostris Patronis et Intercessoribus; gratias nostro Patri carissimo, qui fuit instrumentum fidele ut *Opus Dei*, eo sane modo quo divina Providentia ipsum voluit, per saeculorum cursum ad effectum adducatur.

* * *

3. Nova hac forma, a Condитore nostro indicata ac desiderata, quam post studium profundum et diu protractum, Summus Pontifex *Operi Dei* concedere decrevit, culmen attinget longum illud iter dicens ad definitivam configurationem iuridicam nostrae vocationis, uti Dominus eam inspiravit Conditori nostro die 2 octobris anni 1928.

Via sternetur ita fundationali illi dilectissimi Patris nostri asseverationi, quae, per annos haud sane paucos, videbatur aliquibus quid impossibile, aliis vero haeresis quaedam: nos nempe, propter supernam receptam vocationem, vitam nostram totam Deo dicare velle tamquam communes fideles — videlicet tamquam sacerdotes vel laicos saeculares: nihil quidem amplius, at pariter nihil minus —, idque cum spiritu, cum deditioне apostolica et cum vinculo iuridico longe ab iis differentia quae *status perfectionis* vel *status vitae consecratae* per professionem trium consiliorum evangelicorum sunt propria.

4. Voluit Dominus *Opus Dei* — quod, post erectionem in Praelaturam personalem, agnitione gaudebit iuridica, theologica ac pastorali suae naturae plene congruenti — ut cooperaretur, cum sua spiritualitate et structura suisque modalitatibus apostolicis, ad reales exigentias universalis vocationis ad sanctitatem in hominum memoriam revocandas: ad recolendum scilicet cunctos fideles posse ac debere in mundo sanctificari quin ipsi suum statum mutent, ubi Deus eos collocavit, in lucem supernaturem proferendo id quod pertinet ad vitam cotidianam; ac praesertim ordinarium laborem professionalem, ad ordinem gratiae enectum atque apostolatus medium et instrumentum effectum.

Nostra igitur vocatio nullam secum fert mutationem in condicione personali eorum qui *Operi Dei* incorporantur; sumus enim — unusquisque et unaquaque nostrum — id quod prius eramus: communes viri ac mulieres — coelibes, matrimonio iuncti vel vidui —, intellectuales, administrati, opifices, agricolae, etc., qui splendidam assumunt obligationem divinas efficiendi omnes vias huius mundi, illas nempe vias quas percurrimus cum nostris paribus, cum nostris concubibus.

5. Attente animadvertisite me scripsisse — iuxta taxativam Conditoris nostri asseverationem — nos vias percurrere *cum nostris paribus*, cum ceteris scilicet civibus, qui sunt communes fideles. Notate me non dixisse illos esse nobis *similes*, sed *nostros pares*. Hic accuratus verborum usus non erat subtilitas quaedam iuridica nostri Patris, sed erat e contra logica expressio atque fidelis defensio illius Operis quod Deus ab eo petierat, quia — ut ipse affirmabat — *separare nos nequit a ceteris fidelibus* — iterum dico: *a nostris paribus* — *ne paries quidem subtilissimus ex omnibus qui existere possunt, nequidem chartula ad sigularum involvendam* (1). Si id sineremus, Dei Voluntatem proderemus.

(1) In texto originali, lingua hispanica redacto, dicitur: *ni una hoja de papel de fumar.*

6. Dominus vult nos tamquam fermentum in massa, dum simul sumus massa et Populus Dei qui, in Ecclesiae vita, oboedit, servit et attentas aures praebet Romani Pontificis et Episcoporum dioecesanorum voci, normis directivis atque sollicitudinibus easque amat ac veneratur.

Sincero et grato animo nostra facimus consilia et proposita omnia Pastorum dioecesanorum, et ad id nos stimulant atque ducunt normae propriæ nostri spiritus nostriquæ iuris; ideo, ubi unusquisque nostrum invenitur, ibi enitimus ut ea consilia ac proposita exsequamur eaque — mediante apostolatu numquam intermisso — in vitam immittamus eorum qui circa nos sunt, nostrorum parentium — sinite ut id ad satietatem repetam! —: nempe in nostras familias, in nostros coniunctos, amicos, laboris collegas, oblectamenti comites, etc.

* * *

7. Ne imaginari quidem potestis quam ardua fuerit via quam dilectus noster Pater percurrere debuit: ipse enim — cum gaudio, sine simultate, quin ullum umquam iudicaret — veram discriminationem asperamque emarginationem passus est, nam eo quidam pervenerunt, ut assererent *eum venisse ad Ecclesiam destruendam*. Me non pudet vobis notum facere eadem via doloris nostros gressus prosequutos esse, durante hoc finali proelio ad adaequatam iuridicam recognitionem obtinendam.

Attributum est nobis — id vobis enarro, quia de re agitur publica, et quia inde a primo momento omnibus *toto corde iam dimissimus* — voluisse nos esse ab Episcopis independentes, vel extra Hierarchiae ambitum inveniri, vel nos insertos non esse in Ecclesiis locales.

Forsitan non percipiebant nos unice quaerere ut agnosceremur tamquam id quod sumus: nempe tamquam sacerdotes plene saeculares et communes fideles, efformantes quidem in ambitu internationali unitatem iurisdictionalem propter spiritum, specificam efformationem ac regimen, sed qui — aequa atque ceteri fideles — libenter manent sub Episcoporum dependentia in iis omnibus quae attinent ad *ordinariam curam pastorem*, ad eam scilicet quam unusquisque Episcopus exercet erga cunctos alios suae dioecesis laicos.

Peculiaris autem nota forsitan nos distinguit: licet nostram personalem infirmitatem nostrasque debilitates experiamur, conamur tamen esse Episcoporum subditi omnium fidelissimi atque fidissimi: quanto gaudio cotidie oramus et nos mortificamus, modo expresso et plus semel in die, pro Pastore dioecesano eiusque intentionibus!

8. Moerores perpessi sumus, haud quidem leves!, quia huiusmodi calumnia suum vestigium reliquit, et nonnulli Reverendissimi Ordinarii — fere exclusive e dioecesibus in quibus nostrum laborem nondum exercemus, vel etiam aliqui novi Episcopi dioecesum in quibus multos iam annos laboramus — positionem assumpserunt cuiusdam avulsionis et diffidentiae erga *Opus Dei*.

Aequivocum in eo residebat, quod nonnulli — naturam propriam *Operis Dei* non satis cognoscentes — tractare nos volebant ut religiosos vel uti membra associationum aut motuum ecclesiastium ad modum coetus semper agentium in structuris ecclesiasticis vel in vita civili. Quando vero nos explanabamus *Opus Dei* membra libere ac proprio nomine agere, hanc nostram affirmationem respiciebant sub luce tenebrosa illius calumniae quae nobis attribuebatur.

Non intellegebant nostrum agendi modum — non obstante soliditate efformationis ac regiminis — ordinarie nos non ducere ad laborandum tamquam unum e coetibus iam exsistentibus sed, e contra, *ad nos extendendos flabelli instar*, nitens unusquisque ut ibi sit fermentum vel sal, ubi laborem suum professionalem exercet, necnon in sua cuiusque familia et inter amicos.

9. Neque id alii intellegebant, quod ad *apostolatum exercendum* non elevimus — id profecto facere nequimus — opificem e loco laboris eius, patres vel matresfamilias ex eorum domibus, studentes ex eorum Facultatibus vel Centris academicis, aegrotantes ex eorum lectis, medicos e clinicis, etc.

Cum nos non viderent tamquam unum e coetibus in dioecesi laborantibus, non animadvertisentes nos esse velle — iterum dico — fermentum vel sal, quae in massa dilabuntur, exsistimabant nos cum illis cooperari non desiderare nosque extra ambitum actionis pastoralis dioecesanae positos esse. Non perspiciebant vos, filii mei, per ordinarias vias per quas discurrerit vita saecularis, praesentes ubique inveniri: in ambitu academico et humani laboris, in paroeciis, in familiis, in associationibus dioecesanis, in inceptis civilibus, educativis, assistentialibus, etc. Ubi cives ac fideles christiani suam vitam agunt, ibi et qui ad *Opus Dei* pertinent praesentes adsunt, ordinarie agens unusquisque suo nomine — iterum iterumque id repeto: non ad modum coetus —, cunctos illos ambitus vivificans, apostolico ardore motus, in Ecclesiae universalis atque Ecclesiae localis servitium.

10. Existimo fore, et propter id gratias Deo reddo, ut, per hunc actum Sanctae Sedis, quo iuridice sancietur id quod semper esse voluimus — quia id Deus et volebat et vult —, evanescant falsae illae interpretationes quae nos considerant tamquam coetum seiunctum; et spero quoque fore, ut Episcopi dioecesani — gratias Domino ago, quia pars eorum longe maxima bene nos intelligit — veluti manu tangant se promptos habere fideles exemplares — videlicet Praelatura laicos —, qui suae personalis infirmitatis bene consci, desiderio moventur serviendi Ecclesiae ac dioecesi, ex illo quidem loco qui ipsis in societate civili competit, vita christiana imbuentes cunctas honestas professiones humanas.

* * *

11. Imaginor quoque, filiae ac filii, laetum vultum carissimi nostri Patris in signum gratitudinis et laudis Deo, cum in hac proxima approbatione Sanctae Sedis adimpletum videbit aliud magnum suum desiderium: sacerdotes, nempe Aggregati ac Supernumerarii, in suo ministerio sacerdotali, nullum praeter proprium Ordinarium dioecesanum habebunt superiorem. Clarius adhuc patebit, si id fieri potest, illud *nihil sine Episcopo*, quod condicionem sacerdotum Aggregatorum et Supernumerariorum Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis semper insignivit.

Hactenus, uti probe nostis, in norma nobis imposta a Sacra Congregatione de Religiosis — en alia quaestio, in qua Conditor noster coactus fuit ad concedendum sine cessione, et cum animo recuperandi — praecipiebatur ut hi sacerdotes internum Superiorem in *Opere Dei* haberent. Quam magnum dolorem expertus est dilectus noster Pater, et quanto studio formulam quaequivit quae minimum praeiudicium afferret Episcopis atque condicioni dioecesanae eorum sacerdotum!

12. Dei adiutorio fultus, disposuit Conditor noster ut hi sacerdotes dependent a Rerum Spiritualium Praefecto *Operis Dei*, qui in nostra Institutione gubernii munere non fungitur, et statuit ut titulus mandati numquam exerceatur erga sacerdotes Aggregatos et Supernumerarios utque, quoad ipsos, *ne umbra quidem exsisteret hierarchiae internae Operis Dei*, quia id unum quaerebatur, eos scilicet adiuvare, mediante directione spirituali quam ipsi desiderabant, quin umquam illis darentur indicationes vel ullius generis normae directiveae respicientes ministerium sacerdotale, quod a loci Ordinario unice dependet.

Immo vero, voluit carissimus noster Pater ut hi sacerdotes obligationem assumerent deponendi munera sua omnia ac beneficia ecclesiastica in manus proprii Episcopi, statuitque ut — in cura spirituali ipsis impertienda, quia in hoc unice de facto consistit eorum coniunctio cum *Opere Dei* — sine intermissione iisdem in memoriam revocaretur perfectissimam responsionem eorum vocationi ad Societatem Sacerdotalem Sanctae Crucis consistere in exacta, libenti atque laeta adimpletione indicationum proprii Ordinarii.

13. Fundator noster numquam obstitit quominus Ordinarii locorum scirent qui sacerdotes propriae dioecesis suum nomen dare desiderabant Societati Sacerdotali Sanctae Crucis; non solum non obstitit, verum indicavit etiam ut, antequam initium daretur specifico apostolatu Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis in aliqua dioecesi, Episcopo cuius interesset accurate explanaretur hic labor, qui solummodo exercebatur si loci Ordinarius ipsi annueret et suam approbationem expresse concederet.

Praeterea Conditor noster, desiderans ut hi sacerdotes manifestarent fidem suum servitium Ordinario dioecesano atque dioecesi, statuit ut ipsi de nova sua vocatione cum proprio Episcopo loquerentur, et id ita factum est usquedum a Sancta Sede nobis notum factum est praedictam obligationem imponi non posse. Hoc non obstante, consilium semper dedimus sacerdotibus Aggregatis ac Supernumerariis ut ab iis omnibus effugerent quae secretum vel falsi nominis discretionem circa eorum spiritualem *Operi Dei* adhaesionem redolere valerent.

14. Nunc vero, per novam formam quam Sancta Sedes nobis concedet, confirmabitur hos sacerdotes suam condicionem iuridicam non mutare neque Superiores in Praelatura habere: adimplebitur ita id quod Conditor noster exoptabat, quod nempe, per hanc vocationem ad Societatem Sacerdotalem Sanctae Crucis vocationi eorum sacerdotali adjunctam, ipsi se magis sentiant proprii cuiusque Episcopi sacerdotes, suae dioecesi magis deditos, arctiore fraternitatis vinculo cum ceteris sacerdotibus coniunctos, impensis diligent Seminarium atque opera dioecesana magisque paratos ad serviendum cunctis animabus.

Propterea, et bene scio me nonnisi Conditoris nostri desideria exsequi, hos sacerdotes admonebo ut Episcopo explicent novam suam dedicationem suo sacerdotio, quia aliud non querunt praeterquam vitam totam impendere in sui donatione quam, per incardinationem dioecesi, ad effectum adducere promiserunt.

15. *Cor Iesu Sacratissimum et misericors, dona nobis pacem!; Cor Mariae dulcissimum, iter para tutum!* His aliisve orationibus iaculatoriis Conditor noster ad Caelum fidenter configuit, ut *Opus Dei* perficeretur. Nunc vero, directissimo suffulti interventu dilecti nostri Patris, ad portum perveniemus. Ad unumquem-

que nostrum, filiae ac filii, spectat pretiosissimum hoc accipere legatum, quod Voluntati Dei respondet, ut ipsum per saeculorum cursum ad alios transmittamus.

Id meditamini quod — tamquam fructum immensae suae humilitatis atque rectae intentionis — Conditor noster persaepe in sua oratione consideravit: *Domine, si Opus Dei non ad id natum est, ut Ecclesiae serviat, ipsum destrue!* In animabus ergo vestris impense fovere pergit desiderium laborandi fideliter ac sollerter in Ecclesiae servitium, erga vosmetipsos severos exhibentes: laborandi, inquam, ubi Dominus vos collocavit ac quaeasivit, quin illum locum derelinquatis, servientes Romano Pontifici, Episcopis dioecesanis cunctisque animabus tamquam fideles exemplares, propriae infirmitatis bene consci, sed persuasi quoque Dominum in nostra cooperatione inniti.

16. Nunc et semper me adiuvate vosque mecum iungite ad gratias Deo reddendas toto nostraे vitae cursu, ita ut aeterna gratiarum actio dilectissimi nostri Patris resonet ac veluti repercutiatur in nostra donatione Domino magis magisque impensa, idque in ordinariae vitae adjunctis, permanens unusquisque in loco ubi Deus eum vocavit, quem profecto locum derelinquere nequimus.

Vos benedicit Pater vester

Alvarus

Romae, die 8 decembris 1981.

Dal *Codex iuris particularis seu Statuta Praelaturaе Sanctae Crucis et Operis Dei*, Roma 1983, pp. XXXI-XLIII. Testo gentilmente fornito da L. de Echeverría, Salamanca (Spagna).